

Nr. 24.

42

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
**GODFR. LVDOV.
MENCCENIVS, IC.**

DIGESTI VETERIS PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIVS, CVRIAЕ PROVINCIALIS, SCABI-
NATVS, SENATVS ECCLESIASTICI, ORDINIS-
QUE IVRIDICI, NEC NON IUDICII DVCALIS IN
MARCHIONATV INFERIORIS LVSATIAE AD-
SESSOR ET IAM PRODECANVS

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D. ar.
IIISDEMQUE PIAM FESTI
QVOD ANGELIS SACRVM EST
CELEBRATIONEM
PERAMANTER COMMENDAT.

VITEMBERGAE
LITTERIS VIDVAE GAEBERDTIAE.

S. R. Dn. D. MICHAEL
CIVI PL. SAL. M. D. L.

Rector
ACADEMIE ALTMERGENSIIS
GODFR. LADON.
MENGENIAE IC.
DIEPPIA ETIENS PROTHOOR HISTORIC
ORDINARIA, CAROLI BROMIDIANAE SCVL
MATAE, SANTAS, SCOTIAE, ORBIS
CIVILIS, NEGRION, MEXICANICUS,
JAVANICUS, AIDAM, IDAM, ETC.
SACRA RITUA, TITULI RITUALIS
CIVIBUS SACRUM
GOD ANGELES SACRUM EST
HABEMUS PRIMUS TESTIMONIUM
CELESTRIAGONI
LITERARIATUR COMPARANDA
HISTORIAS MUNDI GESTAS
HISTORIAS MUNDI GESTAS





Onorum angelorum, mente ac virtute imaginem Dei referentium, tam pia, tamque sancta est voluntas, ut non summo tantum studio ferantur ad nutum diuinum ubique se compонendi, sed, ut homines quoque idem secum faciant, omnem curam omnemque operam impendant.

Ipsé Seruator noster de iisdem praedicat, quod insigni perfundantur laetitia, quoties homo, ruptis, quibus adhuc irretitus erat, Satanae laqueis, ad frugem, melioremque mentem reddit, veniaque delictorum experita gratiam apud Deum consequitur. Sic enim LVCÆ capite quinto & decimo, commate decimo inquit: οὐτω, λέγω σοιν, χαρὰ γίνεται εἰώπιον τῷ ἀγγέλῳ τῷ θεῷ ἐπὶ ἐνὶ αἱμαρτῶλῃ μετανοῦντι. Ite, dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei, super uno peccatore poenitentiam agentem. Id, quomodo intelligi debeat, haud equidem difficulter liquet; nempe de noua gaudii materia. Etenim laetitiam angelorum & beatorum nihil turbat, cum in Deo & coram Deo gaudeant semper. At cum adcedit ad communionem sanctorum peccator resipiscens, Deoque reconciliatur, tum equidem nouum ac singulare gaudium capiunt, quod mirum in modum beatas illas mentes adscit & oblectat. Quis haec credere potuisset, nisi veritas ipsa testata esset? ait LUDOV. GRANATENSIS h. l. Et quis nunc clementiam Dei erga peccatorem, & felicitatem peccatoris resipiscentis explicare verbis, aut tantum cogitationibus comprehendere posset? inquit IO. RENTIVS h. l. Et mox: O nos felices, ad quorum poenitentiam tanta in caelo laetitia, tam coram Deo, quam coram angelis eius excitatur! O nos infelices, si impenitentia tantam salutem negligimus! Actum agerimus, si de re, omnibus satis cognita atque perspecta, vel ver-

(C 2) 1710. LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF LEIPZIG. — 100

bum porro adderemus. De eo autem, potiori forsitan iure, disquiritur: nunne, quantum angeli boni laetantur de illis, quos diabolus superare non potest, tantum ex aduerso doleant ex his, quos potestas inimica prostravit? Ratio dubitandi haec vulgo adlegatur, quod in felicitatem illam, qua angelii boni fruuntur, non cadat tristitia, utpote sensum doloris inferens, quem, praesente malo, percipimus. Igitur, quamvis spiritibus illis caelestibus laetitia recte tribuatur, tristitiam tamen perperam iisdem adscribi, nisi iniurii esse velimus in beatissimum illum, in quo constituti sunt statum. Et negari profecto non potest, habere hoc argumentum, si primo intuitu consideretur, aliquid ponderis, apud eos praesertim, qui, doctrinae de affectibus non satis gnari, paullo crassius hic philosophantur, & summa imis, ac ima summis miscentes, eosdem sibi de tristitia Dei & angelorum conceptus formant, quos de tristitia hominum formare sibi consueuerunt. Ad nos quod attinet, rationibus omnibus probe subductis, nulli dubitamus sententiam aientem amplecti, inque eorum transire castra, qui adfirmandam esse quaestio nem contendunt, argumento non uno inducti.

Regula est in scholis philosophorum decantatissima: *Oppositorum obposita est ratio*. Vnde non immerito concludimus: si laetitiae locus est in angelis bonis, quoties homo, qui ad hoc tempus mancipium fuit diaboli, ad libertatem filiorum Dei perducitur, etiam tristitiae locus erit in spiritibus illis caelestibus, quoties unus e numero fidelium iustitia sua excidit, & naufragium fidei patitur. Neque enim ratio diuersitatis redi potest, propter quam hac in parte aliter se res haberet circa affectum tristitiae, quam quidem se habet circa affectum laetitiae. Ad dubium, paullo ante in medium prolatum, deinceps respondebitur.

Ipsa res, quam in angelis bonis tristitiam excitare adfirmamus, eiusmodi est, vt non possit non in iisdem affectum tam

tam sanctum mouere. Contristantur autem de peccato, in
quod incauti prolabimur, quo, iuxta C H R Y S O S T O M U M ho-
mil. ix. in pr. ad Corinth. epist. caput tertium, nihil aequi in-
consideratum, nihil adeo amens ac stultum & violentum. Omnia
euertit, & confundit, & perdit, quocunque insilierit. Et visu defor-
me, importunum, molestum & graue. Si quis pictor ipsum effingeret,
non mibi videretur aberrare, ipsum sic effingens: mulierem quandam
forma belluina, barbarem, ignem spirantem, iniucundam, nigram,
quales profani Poetae Scyllas nobis descriptas relinquunt. Manibus
enim innumerabilibus nostras adprehendit cogitationes, & ratioci-
nationes, & ex improviso ingreditur, & omnia discerpit ac di-
lacerat, sicut canes clanculum mordentes. Quisque pius, De-
umque sincere amans, nil magis abominatur & odit, quam
foetidum illud Satanae excrementum, maximoque adfici-
tur dolore, quoties vel ipse, siue inscienter, siue ex praecipi-
titi, aliquid committit, quod legi diuinae est aduersum,
vel alias id facere animaduertit. Tam molesta fidelibus
sunt peccata, ut ferre eadem nullo modo possint. Hinc
gemitus, hinc lacrimae, hinc denique preces eorum, quas
nunquam non ad Deum fundere solent, ut quam primum
ab hoc malo, per beatam ex hac vita emigrationem, liberen-
tur. Iam autem in angelis bonis longe maior longeque subli-
mior sanctitatis gradus deprehenditur, quam in sanctis, qui
adhuc in terris agunt, utpote qui perfectionem caelestem
adhuc exspectant, omnique conamine eo nituntur, suum-
que illud desiderium in oratione dominica quotidie patri
caelesti exponunt, nec prius adquiescunt, donec adquisue-
runt in caelo, quod desiderauerunt in terra. Grauior ergo
acerbiorque luctus in illis etiam excitabitur ob violatam su-
premi Numinis legem, quam quidem excitatur in nobis,
quando aliquem a tramite recti deflectere, & in transuer-
sum agi, conspicimus.

Cumque ingentem illam, qua in regno gloriae fruuntur;

beatitudinem ac felicitatem angeli boni, nemini, praeterquam creatori suo, in adeptis ferant, non possunt non ardentissimo capi desiderio honorem eius proinouendi & nihil non faciendo, quod ad eius amplificationem modocunque pertinere videtur. Quidquid cum in caelis, tum in terris, operantur & agunt, vnicum eum in finem agunt, ut nomen Domini sui sanctum & adorandum habeatur ab omnibus, eiusque maiestas, ἡπεροχὴ & excellentia depraedicetur ubique. Conf. ps. cii, 20. 21. ps. CXLIX, 2. es. VI, 2. LVC. II, 13. APOC. V, 9. Per transgressionem vero legis, quam olim tulit, nomen eius dedecoratur, & summa contumelia adficitur. Ipse Deus violationem mandatorum suorum blasphemiam vocat, contra nomen suum commissam, ROM. II, 24. dum ait, per peccata Iudeorum fieri, ut nomen suum blasphemetur inter gentes, h. e. crimina, ab ipsis perpetrata, causam esse blasphemiae aduersus nomen suum commissae, atque adeo ipsam etiam aliquam blasphemiam, nominisque diuini dehonestationem & contemptum. Quid igitur mirum, angelos bonos, tamquam legatos Dei, vehementissime offendit, doloremque non exiguum sentire, si is, a quo mittuntur, cuiusque vices gerunt, infametur, eiusque nomini sanctissimo ignominiae nota adsperratur, cum factum sit indignissimum, polluere nomen eius, cui res omnes conditae, quae in caelo sunt, & quae in terra, & sub terra, & in mari, & quae in eis sunt omnia honorem, cultum & reverentiam exhibere debeant, APOC. V, 13. Adcedit & illud, quod angeli boni tenerimo amore prosequantur genus humanum, eiusque salutem, quantum in ipsis est, nunquam non promouere studeant. Hinc a Paulo Apostolo dicuntur πνεῦματα λειτουργία, administratori spiritus, ut vulgatus interpres hoc reddit, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem copient salutis, EBR. I, 14. Quo suo ministerio summa etiam cum alacritate & fidelitate defunguntur, dum momenta orationis piorum adferunt coram

ram sancto, T O B. XII, 12. dum apud Deum pro nobis intercedunt, Z A C H. I, 12. I O B. XXXIII, 23. A C T. X, 3, 4. dum suffitius multos cum precibus sanctorum obferunt super altare aureum, quod est ante thronum, ut adscendat fumus suffituum, cum precibus sanctorum, e manu ipsorum ad conspectum Dei, suasque adeo preces nostris adiungunt, A P O C. VIII, 3. 4. dum impiis sese obponunt, & consilia, quae in perniciem ecclesiae verorumque eius membrorum excogitare solent, impediunt & irrita reddunt, N V M. XXII, 22. dum castra metantur & vndique circa pios sua ponunt tentoria, currus, equos, valla ac arma flammatia, ne ab impiis obruantur, P S. XXXIV, 8. dum sterentes excitant, ut pergant in via mandatorum Domini, IIII, R E G G. XIX. 5. I V E D I C. II, 1. 2. 3. dum in periculis nos non deserunt, sed simul nobiscum in fornacem, simul in speluncam descendunt, D A N. III, 49. & C A P. VI, 22. & quae alia sunt hujus generis officia, quae piis ac fidelibus, ex mandato diuino, praestant. Quod si vero iam contingat, ut homines, propriae salutis immemores, angelos bonos negligant, eorumque curam susque deque habeant, ex aduerso autem suggestionibus Satanae locum apud se relinquant, & in omni generis criminis ac delicta praecepites ruant, nonne queso! id male haberet custodes illos caelestes? nonne aegre ferrent, quod officia, consilia & monita sua tam turpiter negligantur? nonne tristes discederent, propterea, quod oleum & operam perdiderint, nihilque apud eos profecerint, quorum salutem, beatitudinem & felicitatem, tam anxie quaesuerant, omnibusque votis expetierant.

Quid? quod ipse Spiritui sanctae in Deitate personae, tristitia adfectus in sacris adscribatur. Sane Paulus Apostolus Ephesios suos, in epistola ad ipsos prescripta cap. IV, 30. serio dehortatur, ne viliam tristitiae materiam praebant hospiti tam sancto, tam benigno, tamque amabili. Kaj mi inquens, λαβετε

πάτε τὸ πνεῦμα τὸ ἄγιον τὸ θεόν, ἐν ᾧ ἐσθιαγίσθητε εἰς ἡμέραν αὐτού-
λυτέων. Et ne contristetis (spurcis sermonibus, malisque
operibus) Spiritum illum sanctum Dei (qui in vobis praesentis-
mus est, & habitat; sed quoties aliquid, vocatione vestra indi-
gnum, admittitis, moxro adficitur & vehementer offendit-
tur, immo prorsus ex hospitio suo expellitur & eiicitur) per
quem ob signati effis (ut maneat apud vos, tamquam pignus & si-
gillum gratiae Dei & Christi in vobis, quo a reprobis discerni-
mini, quodque cordibus vestris est impressum, ut certa sit vo-
bis adoptionis gratia) in diem redemtionis (qua, vel per bea-
tam mortem, vel, per adparitionem Christi ab hoc mundo,
omnique malo liberabitimini.) Similis loquendi forma obcur-
rit Es. LXIII, 10.

וְהִיא כֹּרֶשׁ וַעֲצָבוֹן אֶת רֹוחֵי יְהוָה לְאַוְבֵב חֹזֶק נְלָחֶטֶן-כְּנַסְתָּן At ipsi immorigeri ex-
stiterunt, & dolore adfecerunt Spiritum eius sanctum, & con-
uersus ipsis est in hostem: ipse pugnauit contra eos, h.e. iniuria
adfecit istis Spiritum sanctum, tum obstinate resistendo & ob-
nitendo eius, consiliis, monitis, demonstrationibus & con-
victionibus; tum demonstrationes, doctrinas, institutio-
nes eius contemnendo, contumeliose insectando, proter-
ue repellendo & blasphemando. Injuria autem & contu-
melia pariunt acerrimum doloris sensum. Quare non in-
fluet deinceps sua gratia in animos vestros, sed operatio-
nes gratiae suae vobis subtrahet: similitudine desumpta ab
amico, qui, vbi quem videt sapientissimis consiliis suis, sa-
luberrimisque monitis, locum non relinquere, se ad tem-
pus ipsis subducit, eumque monere desinit. Sic Spiritus
sanctus ad tempus vos relinquet, & permettit quoque, vt
consiliis ipsis & convictionibus internis immorigeri, inci-
datis in tentationes grauissimas, e quibus difficulter elucta-
bimini; vt a tergo sentiatis amaros fructus Spiritus sancti
tristitia adfecti, h.e. ita se erga vos gerentis, vt solent ami-
ci contristati. Liceat inde nobis a maiori ad minus con-
clu-

cludere, hoc modo : Si ipse Spiritus sanctus, qui tamen est
verus Deus, tristitia adfici potest, quanto magis angeli, vt
pote qui, tamquam spiritus creati & finiti, Spiritu sancto
longe sunt inferiores, tristitia adfici poterunt? Quamuis
probe sit obseruandum, affectum tristitiae, perinde vt reli-
quos affectus, nihil vitii inuolentes, recte quidem, immo
proprie, modo tamen longe eminentissimo, Spiritui san-
cto ceterisque personis diuinis tribui, adeo, vt in angelis
pariter & hominibus eorum saltem imago & velut umbra
quaedam spectetur, suntque nihil aliud, quam voluntatis
actus, qui, nostro concipiendi modo, conuenientiam quan-
dam habent cum operationibus hominum, qui eiusmodi
affectibus concitantur, sed remota omni, quae humanis
adhaeret, imperfectione.

Consentientes nobiscum habemus ex antiquis ecclesi-
ae christiana doctoribus non paucos. In actis Apostolo-
rum apocryphis, sive historia certaminis apostolici, adscri-
pta Abdiae, primo, vt ferunt, Babyloniae Episcopo, & in
decem libros distributo, libro quinto, capite decimo septi-
mo, p. 567. sqq. editionis Fabricianae, refertur historia de
iuene Stacteo, a Ioanne Euangelista & Apostolo a mortu-
is suscitato. Hic, cum, resolutis lethi vinculis, viuus adpa-
ruiisset, Attico & Eugenio, duobus honoratis ciuitatis Eph-
esiorum viris ac nuper Ioannis discipulis, sed amore mundi
rursum fascinatis, ex mandato magistri sui adnunciaturus,
quantam gloriam amisissent, quantamque ex aduerso poe-
nam incurrisserint, sic eos compellasse dicitur: *Vidi angelos*
vestros flentes & Satanae angelos in vestra deiectione gratulan-
tes. Iam enim regnum paratum vobis & ex coruscantibus gemmis
zaetas instrutas, plenas gaudii, plena epulis, plena deliciis,
plena denique vita perpetua, & lumine aeterno, paruo tempore
amisisti: & adquisivisti vobis loca tenebrarum, plena draconis-
bus, plena stridentibus flammis, plena cruciatis, & incompa-

robilibus poenis, plena doloribus, plena angustiis, plena timore
& tremore horrifico. Amissis loca floribus immortescibilis plena,
fulgentia, plena vocibus organorum: & odquisuisti e contra
vobis loca, in quibus die noctisque non cessat mugitus, &
& vulnus & luctus. &c.

Qui saeculo, post natum Christum, quarto ecclesiae
Carthaginensi praefuit BASILIVS, magnus dictus, in Psalmum
xxxiii. operum tomo primo p. 220, sq. praeclare
hanc in rem scribit: Παρεμβαλεῖ ἄγγελος Κυρίου πυκλῶν Φο-
ριμένων αὐτὸν. Παντὶ πεπτεκάτῃ εἰς τὸν Κύριον ἄγγελος παρε-
δένει, ἐὰν μή ποτε αὐτὸν ἡμεῖς, ἐκ τῶν πονηρῶν ἔργων απόδιψάωμεν. Ως
γαρ τὰς μελίσσας παπνὸς Φυγαδεῖε, καὶ τὰς πεζιτερὶς δυσωδίας ἔξ-
λαυνεῖ. Οὐτω καὶ τὸν Φύλακα Τῆς ἔως ημῶν ἄγγελον ἡ πολύδακας
ἡ δυσώδης ἀφίσσων ἀμαρτία. **Castra metatur angelus Domini**
in circuitu timentium eum. **Omnis namque in Dominum creden-**
ti angelus adfert, nisi illum a nobis per improbas actiones abegeri-
mus. Sicut enim fumus apes fugat, & foedus odor columbas expellit:
sic angelum vitae nostrarē custodem obigit multis lacrimis deflendum
& graueolens peccatarum. Non incommodo fortassis huc etiam
retuleris illud AVR. AVGUSTINI soliloquior. cap. xxvii. Grandis
est eis cura de nobis: magnus est affectus dilectionis eorum erga
nos: & hoc unum propter honorem tuae inaestimabilis charitatis,
qua dilexisti nos. Diligunt enim, quos tu diligis; custodiunt,
quos tu custodis: & deserunt, quos tu deseris; nec diligunt ope-
rantes iniuriam; quoniam & tu odisti omnes operantes ini-
uriam, & perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Quoties
bene agimus, gaudent angeli, & tristantur daemones. Quoties a
vono deuiamus, diabolum laetiscamus, & angelos tuos suo gaudio
defraudamus. Gaudium est enim eis super uno peccatore, poeni-
tentiam agente: sed diabolo, super uno iusto, poenitiam deserente.

Idem genti Iudaicae persuasum fuisse, docet GIL-
BERTVS GAVLMINVS in notis ad librum secundum de
morte Mosis cap. ix. editionis Fabricianaee. Postquam e-
nim Seraphicae quadrigae, itemque angelorum a dextris &
fini-

stris Dei, mentionem fecisset, iam ad angelos lugentes sermonem suum dirigens, sequentem in modum pergit: Neque miraberis lugentes angelos hoc loco, quos in omni peccato eorum, quos custodiendo suscepserunt, idem praefare, cumdemque planctum plangere non dissimulant. Princip. Sapient. breue.

שְׁנִי מֶלֶךְ חַטָּאת עַל הַאֲרָבָה מִמְנוּ וְעַמְרוּתָה עַל חַטָּאת
ארב חטא הם חטאיהם בדילם ממנה ועמרותה על חטאיהם
Angelii duo singulos comitantur, ut eos custodiant, inque omni peccato super eos lugent. Addit GAVLMINVS: Sed cur angelorum lessum negarent, qui Deo singulis diebus ob excidium templi tribuunt, ut sexcentis in Thalmud locis videre est. Mirari igitur subit, neque IOSEPHVM DE VOISIN, neque IOHENR. MAIVM in theologiis suis Iudaicis, ibi, ubi de angelis tractationem instituunt, villam luctus huius angelici mentionem fecisse, quod tamen fieri omnino debuisset.

A Iudaeis Muhammedanos theologos eandem sententiam adcepisse, idem GAVLMINVS adfirmat l. c. Apud hos vero Deus ita Mosi respondet in libro questionis Mosaicar. MSto:

יא מֹסֵה חַטָּאת אַלעֲרָשׁ רַבְכָּן עַל אַרְבָּה O Mose, etiam ex throno meo flent super eos, qui puniuntur ex hominibus. Sic autem multi, adhuc GAVLINO teste, concludunt: Angelii gaudent in caelis super uno peccatore, poenitentiam agentem, igitur & flent super uno peccante.

Qui sectae Platonicae nomen suum quondam dederant, vti multa passim de daemonibus, tam bonis, quam malis tradunt, ita speciatim de amore, quo boni in bonos feruntur, deque odio, quod souent in improbos, eiusmodi profertur, quae huius vitie sunt loci. CHALCIDIVS, quem aliqui Christianum, & Carthaginem quidem Archidacionum, alii hominem paganae superstitioni deditum, adhuc alii Hebraeum, alii denique ἐπαμφοτεξέντα, id est, philosophum semichristianum fuisse, contendunt, quique Pla-

tonis Timaeum & latine vertit, & eruditò commentario explicavit, quem cum doctissimis notis edidit philologus clarissimus IO. MEYRSIVS, Lugduni Batavorum MDCXVII. in quarti ordinis forma p. 226. conceptis verbis inquit: *Nunc de sancto daemonum genere fit sermo, quod ait Plato (in Timaeo) admirabili quadam est prudentia, memoriaque & docilitate felici, quod omnia scit cogitationesque hominum introspicat, & bonis quidem delectetur, improbos oderit, contingente se tristitia, quae nascitur ex odio disperditis. Solus quidpe Deus, utpote plenae perfectaeque diuinitatis, neque tristitia, neque voluptate contingitur.* Iungi huic meretur e christianis philosophiae Platonicae sectatoribus PROCOPIVS, ab urbe, quam incoluit, Garaeus dictus, qui circa annum, saeculi quinti, vicesimum, Iustino imperante, & deinceps floruit. Exstant huius commentaria, seu, ut Photii, qui eadem vehementer laudat, verbis utatur, ἐγνωμοναὶ χολαὶ in Octateuchum, sive potius Heptateuchum, ex orthodoxorum Patrum scriptis & commentariis, summo cum iudicio, contexta. Enim uero latine solummodo habentur, Tiguri excusa anno MDLV. Conrado Clusero interprete. Graece tamen eximium hoc opus, ex MS. Augustano a se descriptum nouaque versione & notis inlustratum, in scriniis suis seruasse immortalis famae theologum Gottfridum Olearium, nos edocet grande illud Germaniae nostrae decus & polyhistor sine pari IO. ALBERTVS FABRICIVS in codice apocrypho noui testamenti tom. I. p. 569. In commentariis istis haec leguntur: *Qui voluntati daemonum non obtemperant, dolore illos afficiunt, angelosque laetitia.*

Nostrae ac superioris aetatis theologorum suffragia ut addamus, nemo temere a nobis postulabit, cum neque ratio instituti hoc admittat, neque necessitas requirat. Satis faciendum potius est dubio, quod supra mouimus, ne animos teneamus incertos, aut ipsi haerere ac suspensi esse, videamur. Scilicet alia

lia longe ratio est adfectuum in angelis, alia vero in hominibus. Qui angelis tribuuntur adfectus, sunt commotiones voluntatis pure mentales; qui vero de hominibus praedicantur, sensualium nomine vulgo venire, & ex corporis animique coniunctione ac commercio prouenire solent. Illi nihil imperfectionis habent, neque adeo beatitudinem ac felicitatem, qua angeli boni fruuntur, vel turbant, vel minuant. De his vero aliter pronunciandum, per ea, quae tradunt GEORG. WERENFELSIUS in georgicis animae & vitae CAP. II. §. II. III. VINC. PLACCIVS in adcessionibus ethic. part. I. CAP. IV. §. IX. seq. aliique.

Quorundam haec dicantur, facile intelligitis, CIVES OPTIMI LECTISSIMIQUE! Celebrat ecclesia christiana hoc ipso die, qui vicesimus nonus est mensis Septembris, festum Michaeli archangelo sacrum. Visum quidpe est in concilio, quod auspiciis Caroli magni & Ludouici, quem is imperii confortem adsciuerat, in vrbe Moguntina, anno, saeculi noni, tertio & decimo, habitum est, statuere, ut, dedicatione sancti Michaelis ab opere cessarent omnes, eamque anniversario cultu agerent. Ludouicus, qui confessui patrum interfuerat, Carolo fatis concedente, rerum potitus, inter cetera, & ea, quae patres, canone trigesimo sexto, de diebus festis sanxerant, totidem fere verbis repetit, lataque lege, diecum nefastorum sanctitatem confirmauit. Cum, b. nostri Lutheri ministerio, sacra repurgarentur, feriae hae statuac, omni populo communes, dicta lege, sunt conseruatae. E-voluatur die *Kayserliche Erklärung wegen der Religion zu Augspurg*, anno 1584. tit. 26. §. 12. Quamuis autem feriati huius diei celebratio non sit iuris diuini, sed positivi ecclesiastici, nihilo tamen minus illi, qui eum quounque modo profanant, graui se obstringunt crimine, tum quod legem naturae simul & diuinam, de praefando superioribus, legitime praecipientibus, obsequio, violent, tum quod offendit-

culo sint, nec leue in ecclesiam scandalum inferant. Leges quidpe ecclesiasticae non minus obligant, quam ciui-
les, atque transgressores poenae reddunt obnoxios: iniun-
ctis, in foro ecclesiastico, satisfactionibus, quas vocant, cano-
nicis, ab iis, quibus relista est haec potestas, & in foro ci-
uili, magistratu suum, in delinquentes, ius vindicante. Cess-
sent ergo inter vos iurgia litigantium; cessent vociferationes
nocturnae; cessent rixae & concertationes, omnesque dissen-
tiones. Non vacabitis gulæ; non Baccho litabitis; non otio,
quod vobis conceditur, abutemini ad lasciuiam & petulantiam;
non eodem ore, quo, in aede sacra, glorificatis nomen Dei
sanctum, enunciabitis verba profana, contumeliosa & exse-
crantia. Perpendite, quanta sit diuini Numinis bonitas, qua
commotus, caelestes suos spiritus custodes vobis mittit, ut
eorundem ministerio, vos vestraque comoda tueatur, fo-
ueat, ornet. Ipsi opem suam vobis lubentes spondent, vo-
bis quae praefato sunt, si, illorum, exemplo, Deo seruatis puri,
sanctique & integri. Nemo VESTRVM peccatorum sordibus
se polluat, aut prauis cupiditatibus indulgeat, ne tristes a-
vobis discedant angeli, & mala vestra opera deferant ad
eum, qui seuerissimus est scelerum vindex & vltor. vos
imprimis, qui, in hac bonarum mentium officina, sacras tra-
etatis litteras, & ad sublime illud atque excelsum munus praef-
paramini, quod diuinam voluntatem mortalibus adnunciat,
& viam salutis alis monstrat, id curate, ut, quo propius ad
angelorum officium adcedit vitae, cui destinati estis, ge-
nus, eo etiam diligentius ad angelorum vos componatis
exemplum, adtentione, amore, studioque propagandi Nu-
minis gloriam & amplificandi regnum Christi. Luceat lux
vestra apud homines, ut, vestra recte facta videntes, collaudent
vefrum patrem, qui est in caelis, MATTH. V, 16. In recte fa-
ctis ponere didicistis, non obliuisci sacerdotum, qui & ipsi
Numinis diuini sunt nuntii, I, COR. IX, II. Hilari ergo
olao

XX

men-

mente manuque subuenite, & liberalitatem V E S T R A M exerce-
cete erga verbi diuini, qui heic loci ecclesiae praesunt, mini-
stros. Et hoc quidem eo magis, quod recepti iam pridem
id exigant postulentque mores. Valete omnes, & feli-
citer agite!

* ZETA significat aedificium ac partem domus, quae cubiculum habent ac coe-
nationem. Legas eam vocem in vett. libris Plinii, lib. II, epist. xvii, item
apud Lampridium in Heliogabalo, atque alios. Catanaus ad superiorum
Plinii locum ait, quosdam putare, ut pro Medentius, Frisciano teste, Mezen-
tius dicitur, sic ex diaeta factum zeta, & hinc κατὰ συγκονλην zeta. Quam
opisionem et si plane damnat Catanaeus, omnino tamen est verior ea,
quam ipse sequitur. Non tamen ζωλας hic Z pro D ponitur, sed za pro
δια, more Aeolico, qua nempe ratione in Antonini itinerario est Hippo-
nen Zarrhytum, pro Diarrhyto, & apud Cyprianum, Hilarium, aliasque
scriptores ecclesiasticos, Paulinum in primis, Zabulum legas pro diabolo:
quomodo & γελαθεων dixerit pro diaθεων, hoc est, calumniari, quan-
quam Hesychius & Etymologus exponant ἔσπατα, decipere. Ut au-
diendi non sint, quia ab hebraeo arcessunt, et si & C. Hieronymus, in cap. vi.
ad Ephes. dicat, diabolum Graece quidem sonare criminatorem, sed Hebrai-
ce significare καταρρόσοντα, quia habet adsinitatem cum zabolon, quod si-
gnificat καταρρέοντα. Simile quoque est ζάχος, a ζα pro δια & Arti-
co ξοῖν pro σαιζεν, ut proprie sic dicatur, cuius opera in verendis, ex-
purgandisque sacris aedibus utimur. Aeolica quoque sunt ζατλας &
ζαφλεγης pro διατλας & διαφλεγης. Haec satis ostendunt, zeta
fieri ex diaeta: coequa zeta scriendum erat: sed cum posterioribus saeculis
diaeta absque diphthongo scriperint, nihil mirum, si idem zeta scrip-
serint, nuda vocali. Falluntur igitur, qui ea ratione a similitudine litterae zeta
dici putant, qua mensa aut locus a literae figura nominatur, sigma. Item, qui
deducunt a ζητεων hoc est, inquirere: ut locus sit, in quo versantur ζητηται.
Quas opiniones probat Rhodiginus, lib. xii, cap. xviii. Falluntur & illi, qui
vel a ζην deducunt, hoc est, feruere, idque quia in eo heliocaminus pone-
retur: vel a ζην, h. e. vivere, quod in ea commodissime vitatur: quam
etymologiam probat Fulvius Virsinius, appendice de triclinio. Vtram-
que etiam adducit Catanaeus ad superiorum Plinii locum. A zeta dicti ze-
tarii, apud Paulum, lib. III. Sent. Tit. vi. idem, qui diaetarii adpel-
lantur, l. quae situm. §. idem respondit ff. de instr. vel instr. leg. Conf. G.
I. VOSSIVS in etymolog. lingue lat. voce zeta.

P. P.
IN FESTO MICHAELIS M.D.CC.XXIX.

metum & sumptus per se & libidinosa ex parte
mollit me in corpore & eo a sanguine proficit
sunt & sanguis satis. — Si post diutinem
in seclusa locis solitudo deinceps.

metum & sumptus per se & libidinosa ex parte
mollit me in corpore & eo a sanguine proficit
sunt & sanguis satis. — Si post diutinem
in seclusa locis solitudo deinceps.
metum & sumptus per se & libidinosa ex parte
mollit me in corpore & eo a sanguine proficit
sunt & sanguis satis. — Si post diutinem
in seclusa locis solitudo deinceps.
metum & sumptus per se & libidinosa ex parte
mollit me in corpore & eo a sanguine proficit
sunt & sanguis satis. — Si post diutinem
in seclusa locis solitudo deinceps.
metum & sumptus per se & libidinosa ex parte
mollit me in corpore & eo a sanguine proficit
sunt & sanguis satis. — Si post diutinem
in seclusa locis solitudo deinceps.
metum & sumptus per se & libidinosa ex parte
mollit me in corpore & eo a sanguine proficit
sunt & sanguis satis. — Si post diutinem
in seclusa locis solitudo deinceps.
metum & sumptus per se & libidinosa ex parte
mollit me in corpore & eo a sanguine proficit
sunt & sanguis satis. — Si post diutinem
in seclusa locis solitudo deinceps.
metum & sumptus per se & libidinosa ex parte
mollit me in corpore & eo a sanguine proficit
sunt & sanguis satis. — Si post diutinem
in seclusa locis solitudo deinceps.
metum & sumptus per se & libidinosa ex parte
mollit me in corpore & eo a sanguine proficit
sunt & sanguis satis. — Si post diutinem
in seclusa locis solitudo deinceps.

IN FESTO MICHAELIS MDCCXX

Ja 1586

ULB Halle
001 508 687

3



VDN8

St

VDN7

